DISSERTATIO MEDICA /2

INAUGURALIS,

DE

ERYSIPELATE.

GULIELMO HODSON NELIGAN Auctore.

HISTORIA MORBI.

INTER morborum plurimos quibus corpus humanum subjicitur, forsitan non est ullus qui, dum manet, plus doloris affert, necnon plus periculi ægro, eoque postulat medici curam propriam, quam is de quo nunc disserem.

In dispositione morborum nosologica, CULLENUS optimus posuit Erysipelas in classe Pyrexiæ, atque ordine Exanthematum: ejus verba sunt:

A

"Erysipelas, synocha duorum vel trium dierum plerumque, cum somnolentia sæpe cum delirio, in aliqua cutis parte, sæpius in facie. Phlogosis erythema."

INDICIA MORBI.

Symptomata quibus Erysipelas distinguitur, plerumque hujusmodi sunt: Tumor, vix evidens sed ardens, quem cutis præcipue tenet, una cum calore vivaci, et dolore pungenti, conjunctus, cum colore claro, rubro, lucidoque splendenti, qui inter premendum evanescat, et candidam notam relinquit, quæ brevi primum ejus colorem resumpserit; omnino quoque propensus est ad se porrigendum in partes finitimas.

Partes erysipelati corporis pronæ, sunt crura, pedes, manus, lacerti, et pericranium, de quo postea dicendum est cum tractaverimus Erysipelas symptomaticum, aut id quod ex pericranio læso efficitur.

SPECIES MORBI.

In præsentia disponam Erysipelas sub duobus hisce partibus; primum, vel Erysipelas biliosum, vel id quod nascitur ex conditione deturbata organorum digestionis: principium habet a tumore levi, atque sæpe vix visibili, cuti partis affectæ, rosei coloris fere tinctæ flavo; ægrotantis sensus est ignis aut aquæ bullientis parti admotæ. Cum hic morbus invaserit, et sæpe multas dies antea, appetitus minuitur, os amarum est, et lingua fœda flavaque apparet; nausea et nonnunquam vomitus incesserit, tum æger fit infirmus et dejectus, tum afficitur multo caloris, absque ulla propria siccitate aut flagranti sensu sitis. Interdum morbus cum febre incipit magis minusve violenti, post rigorem doloremque capitis. Secundo, Erysipelas phlegmonode apparet, majore elatione partis affectæ quam in priore, tumore duriori et altiori, coloreque cutis non tam præclaro. Hoc vitium infertur nausea, siccitate, caloreque cutis; lingua non

munda ac sensu sitis vehementi, pulsu pleno duroque, monstranti plethoram instantem. Tres dies quatuorve finiunt hunc morbum plerumque, præsertim cum necessaria evacuans, atque antiphlogistica ratio adhibita sit. Rigor sæpe comitatur hanc speciem erysipelatis; imprimis, cum formetur pus.

SEDES ERYSIPELATIS.

Situs videtur esse sub cuticulo in reti mucoso; tamen non semper cohibitum hac una parte, at affinis tela cellulosa fere semper afficitur quodammodo.

CAUSÆ ERYSIPELATIS.

Difficile est definire causas quæ hunc morbum gignunt. Sunt autem quæ cæteris paribus conferunt sæpissime ad vitium ferendum. Primum, Status pravus organorum digestionis, magis autem biliosum: Secundo, Vulnera, contusiones,

fracturæ: Tertio, Actio animalium venenorum, vegetabilium, metallicorumque: Quarto, Vis cœli vitiati: Quinto, Solis ardori ignisve nimis continuo subjici: Sexto, Spicula quorundum insectorum, postremoque ebrietas, comissatio.

DIAGNOSIS.

Ex eo quod antea dictum est, constat symptomata ea quibus dignoscas Erysipelas ex Phlegmone hujuscemodi: tumor ardens, cui hic obnoxius est elatior quam in illo, et plus aperte circumscribitur; tunc dolor qui erysipelas comitatur ardentior minusque palpitans, deinde color roseus inter premendum discedet, amplius citiusque redit in erysipelate quam in phlegmone, sensus fluctuantis hujus proprius non percipi potest in erysipelate, apex depressus phlegmonis nunquam erysipelati adest; denique systema totum non tantum patitur in phlegmone quantum in erysipelate.

PROGNOSIS.

Periculum cujusque generis erysipelatis est, secundum magnitudinem, et partem affectam: maxime autem periculosum quod caput, os, atque partes proximas affecerit, de quo quam brevissime potero, dicam.

ORIS ERYSIPELAS

Sæpe subito invadit, plerumque conjunctum febre quodammodo præcedente, rigore, haud nunquam sine stupore, levique delirio; postquam tumor oritur, gena invadens, palpebras, nasum, et eam partem post aures: hic tumor, est lucido rubroque calore, interdumque paulum tincto flavo, qui inter premendum evanescit, sed resumit colorem ejus cum non prematur. Præditus est vi resiliendi atque levis, sed in casibus omnibus non plane circumscribitur, ægro nunc sentienti acrem febrem, una cum multo caloris cutis, siti, capitis

dolore, inquietudine. Vesicula sese porrigunt in partem summam affectam, magis minusve, quæ implentur claro humore serosoque; tamen si morbus bene evenerit, febris quæ usque ad hoc tempus permanserit, cessare incipit, vesicula arescunt, et post sex octove dies cuticula desquamatur per se; in hoc casu periculum est ex delirio, aliisque symptomatibus notantibus cerebri affectum; sæpe ulceratio formatur base vesiculorum horum, quæ in raris casibus cadit in mortem, omnino partis affectæ.

ERYSIPELAS SYMPTOMATICUM,

Postremo proximumque ordine describi venit, vel quod oritur plerumque ex vulnere cranii; invadit, a gradu acerbo febris symptomaticæ, dolore acuto capitis citius seriusve post receptionem injuriæ, aliquando procreante delirium, pulsu obsistente, celerique, solicitudine, inquietudineque, vehementer defatigantibus. Symptomatibus ita existentibus, in rebus sic sitis, sæpe antecedunt suppurationi sese formanti inter cra-

nium et tunicas cerebri, fere comitantibus rigoribus irregularibus, non sequenti sudore; nunc vulnus videtur spongiosum, politum, insalubre, ejus margines tumidæ; pars proxima integumentorum tensa, rubra, multumque dolorifica, inter tangendum fit; secretio, quæ antea fuerat sana, nunc mutatur in saniem, vel forte omnino supprimitur, et pericranium vicinum sese separat sponte sua ab osse. Hic morbus demonstrat magnum periculum, et sæpissime terminat in mortem; itaque oportet medicum, malo detecto, properare exhibendo remedia ea quæ valent in curatione ejus. Hoc genus erysipelatis producatur ab aliquo impetu opposito pericranio, hisve quæ sita sunt infra; plerumque, saltem vulneribus iis nomine *puncturis*, modo sequenti: Instrumentum transfiget pericranium tenus osse, inflammatio consequitur, vulnus extremum tumet et impedit exitum secretionis genitæ infra, procreatque tensionem eam perceptam in hoc morbo, dum eadem tempestate, inflammatio pericranii continua serie ad partes finitimas, et tandem ad cerebrum et membranas ejus, porrigit.

RATIO MEDENDI.

Erysipelatis curatio scientiæ ætatibus singulis plurimum variata est. Celsus jubebat extrahere sanguinem in universum, cum vis ægrotantis sineret. Galenus nunquam lancea utebatur, nisi omnino constitisset plethoram esse. Guy de Chauliac, Thevenin, Sydenham, præcipiunt semper sanguinem extrahere, in erysipelate, nisi affectus quam maxime levis fuerit; quidem recentium probant idem, quorum sunt quidem inducti crasso flavo sanguine, sæpe extrahendum curant, non sine discrimine ægrotantis. Observatum est ab A. Pare, morbum plerumque desinire in vomitum et in dejectiones biliosas, tamen in hujus tempore constat usum.

Tartritis antimonii et potassæ, non esse cognitum medicinæ bene accommodatæ ad hunc eventum maturandum, et cum nunc probata sit, a plurimis medicorum rejicitur. Secundum Richtorem debet vomitus induci cum primum erysipe-

latis impetus factus fuerit; agnoscit autem aliquos esse paucos casus quibus opus est primo ortu sanguinem extrahere. CULLENUS præterea proponat catharticos refrigerantes, et erysipelas habens veluti febrem putrim adjicit catharticis, vinum, cinchonamque. Aliis etiam assentiens qui sicut inutiles atque periculosas omnes ad partes externas aspernantur, sinit partem affectam conspergi creta pulvere, humorem acidum absorbere. Dominus B. BELL, idem quod CULLENUS probat, scilicet ad partes applicationes rejecerit externas, sibi autem placet ad partem infectam quam delicatissime extractum saturni adhibere, dolore maxime acuto. RICHTER improbat magnopere hanc rationem medendi, et idem de extracto saturni ac de aliis sentit astringentibus, quæ, ut observat, sæpe fert effectus perniciosos, ac revera renunciat omnes applicationes locales. THEVENIN proponat vesicatoria, gratia evacuandi vel saltem summovendi succum erysipelatum, cum applicata fuissent longissime a parte affecta. Casus notatur ALEXO, in ejus Observationibus Chirurgicis, quo vesicatoria apposita erant cruribus coloni ob vagans erysipelas obstinatum, quod vicissim oc-

cupaverit tergum, vultum thoracemque, pedes erysipelas adoriebatur, ac statim gangræna sequebatur.

Paucis ita deinceps de erysipelate expositis, et de curatione quam pristini scriptores adhibuerant; nunc experiar narrare curationis methodum recentium et in quam ipse prosecutus fuerim. Constat DESAULT maxime rationalem modum et felicem erysipelatis curandi cepisse, de quo hic paucis absolvam. Erysipelati bilioso si quid febris calorisve insit, imprimis, præscribit tartritis antimonii et potassæ granum solutum in aquæ aliquanto; indicia plerumque evanescunt simul ac effectus medicinæ cessaverit; ea perspexit prorsus diminuere, etiamsi medicina perfecerit nullam mutationem in systemate, præter incrementum perspirationis atque urinæ: interdum autem symptomata hisce evacuationibus objecerunt, eoque cogebatur recurrere ad repetandas solutiones tartritis antimonii. Erysipelas deinde sanatur, atque amaritudine oris et febre abeuntibus, cathartici duo tresve atque manna una cum tartritis antimonii grano præscribentur. Inter medendum æger jubetur bibere libere potiones diluentes,

acerbatas cum oxymele: simul ac signa levata fuerint, victus ægri sinitur esse magis nutriens atque liberalis, propterea quod cum valde sit parcus, non tam bene evenerit, præsertim in Xenodochio cujus aër sæpissime haud parum corruptus. Erysipelas biliosum qualiscunque fuerit et quamcunque partem tenuerit, paucis diebus in rationem propositam concesserit, atque demum semper prospere terminarit. DESAULT nec reminiscitur aliquem casum ubi reverterit, etiam notavit, nihil unquam adversanti ægros, ex quibus sanguis extractus fuerit, antequam recipiuntur in Xenodochio, non caruisse plurimo periculi, atque haud raro maximis medici conatibus obstitisse, idque potissimum cum sanguis sæpe extrahatur.

CURATIO.

PHLEGMONODE multum ab Erysipelate bilioso discrepat, quippe emetici qui in hoc adhibentur, omnino ad augendam molestiam et in-

flammationem jam nunc in illo plurimum valentes, pertinuerunt, quæ quamprimum levare oportet lancea catharticisque, libere adhibitis. Inter curandum, ægrotans bibere continenter debet potiones diluentes. Erysipelate autem a causa interna oriente, nunquam applicationem externam exercebat DESAULT, sed partem quam maxime aëri obnoxiam relinquebat. Nihilominus cum erysipelas biliosum phlegmonodeve, ex contusione, vulnere, aut ulcere, nascatur, medicinæ internæ, atque regimen secundum hunc, non per se valent, nisi applicationes ad partes exercentur, levare loci irritationem, suppurationemque excitare: hoc consilio cataplasmatibus utendum est; unde effectus eorum, boni notati fuere, in conditionibus diversis; hi sunt monitus quos dat in applicatione eorum. Cataplasma non porrigeret, ultra marginem vulneris; si ulla applicatio permittatur apponi superficiei contiguæ erysipelatæ, debet, secundum DESAULT, esse aquosa, et impotens, qualis aqua vegito mineralis, et cætera. Multa diversque sunt remedia quæ vidi applicata tumoribus erysipelatis, qualia lotiones mites, cataplasmata, fotus, pulveres; et præferem unum al-

teri propter simplicius: hoc consilio propensus essem, uti fotu aquæ tepidæ parti affectæ, quia dispositionem irritantem non tenet lotionum, non gignit molestiam pondere qualia cataplasmata, et ei hoc commodum est, ut incitat perspirationem parte ad quam applicatur, et quam materies omnes farinaceæ ad obstandum pertinent.

In Erysipelate Phlegmonode, imprimis debemus minuere inflammationem venæsectione, quæ repetita esset, magis minusve sæpe, secundum symptomata, qualia alia remedia etiam adhibita quæ valent ad minuendum circulationis vim. Breviter, ratio antiphlogistica omnino propria est. In casuum plurimis repetere venæsectionem inutile aliquandoque noxium est, nec judicavemus de efficientia ejus, aliis morbis, inflammatis præcipue. Cum cogitemus de prostratione subita vigoris quæ excipit primum impetum hujus morbi, crebro oportet nos itaque dirigi habitu ægrotantis ante accessum, asperitate symptomatum, inflammatione comitante, ubi sita est, numque ægrotans egisset vitam dissipationis, quia hi plerumque sustinent venæsectionem pessime, præcipue cum privati sint cœlo ruris, expositique Nosocomii. Diaphoresis in-

cita esset continue potu diluenti tepido, haustibus salinis et præcipue dosibus parvis tartritis antimonii sub forma solutionis: intestina soluta essent, eo tempore, catharticis leniter irritantibus enematibusque si opus fuerit. Doses parvæ opii commendatæ fuere, ægro tanti proclivi irritationi; sed adoptarem hoc remedium cautissime, (raris exceptis), et tunc præferrem dosim liberam; nam cognoscimus parvas doses, cum non gignant effectum optatum, addant multum præexistenti molestiæ ægri. Vomitus videntur omnino esse remedia optima ad erysipelatis curationem, præsertim cum secuti sint, cathartici; sed simul caveremus de usu eorum, specialiter capite affecto; namque conatu ad expulsionem materiei ventriculi incitaremus derivationem ad cerebrum habitibus sanguineis, eo modo augeremus maxime perturbationem ejus. Si dolore constaret subito capitis fluxu sanguinis ad faciem, impatientia lucis, vel quibuspiam indiciis quæ indicarent morbum inesse cerebro, oportet nos sine mora exhibere remedia hæc quæ essent utilissima; talia sunt applicationes stimulantium ad partes diversas corporis, velut vesicatoria dorso, cruribus, similiaque.

Caveremus etiam morbum non finiret gangræna, sphacelove, invasio quorum, occurretur usu opportuno sagaceque remediorum, quæ corpora firmant, et cibo præbente nutrimentum et facile coctu.

In Erysipelate Phlegmonode, si inflammatio maneret sine crisi ad diem sextum septimumve ex impetu, suppurationem suspicaremus. Conditione ea ut antea memoravi, recurremus ad usum frequentem fotûs calidi, necnon cataplasmatum emollientium; eadem tempestate vigilaremus patefacere sedem puris, quam saltem non semper deprehendere possumus, præcipue sub sitam fascia, et in eo statu œdema solum est signum superficiei nobis procreatum, mora vasorum absorbentium profunde sitorum, et consequenti conditione turgida superficialium. Sede abscessûs detecta conandum est ad expulsionem puris contenti. Igitur incisus unus duo, tres ve perfecti essent libere, (secundum situm vel spatium ejus), per integumenta et fasciam, efficere exitum materei; sacculo evacuato pressu perpetuo, pedetentim deinceps induere, curationem parti imprimis, et efficere adhæsionem parietum abscessûs pressurâ: Secundo con-

junctionem incisionis ligulis adhærentibus et apto ligamento, et postremo involvere partem affectam lanula, excludere cœlum ; eo modo curatio plerumque efficitur. Sunt qui ex morbosa conditione partis affectæ, propensi ad formationem eschararum, separationis quarum expectandum sed festinandum medicamentis leniter stimulantibus processu gradatim peracto sanandi *secunda intentione*. Rebus sic sitis, systema adjutum esset vino, cinchona, aliisque remediis afferentibus vim, ut supra memoravi. Erysipelas phlegmonode dicitur valere inter nauticas, et causa ascribetur irritationi aquæ marinæ, et frictioni braccarum laxarum crassarum : in hac classe ægrorum morbus fertur procedere velociter ad statum gangrænosum, ferentem mortem multis, et quamvis periculum mortificationis finieret, sæpe abscessus formantur, qui gignunt sinus, longe extendentes ex talo tenus coxendice et musculis clunium. Quidam medicus addidit rationibus communibus curationis instituendo applicationem cucurbitulæ parti affectæ, consequentibus fotibus ; postea prætulit dividere integumenta accensa, scalpello tenus musculis tempore maturo morbi et antequam

secretio ulla orta fuerit. Ille etiam memorat hæmorrhagiam productam, ab incisionibus afferre consolationem ægrotanti; eoque formaverant sulcos, per quos omnis fluidus secretus in parte dolenti perfluerit. In præsentia non ingrediar investigationem de postremo modo unicoque tractandi eryisipelas, sed tantum notare, quod nunquam testatus sum usum rationum similium ad curationem ejus, et fateor quod mihi videtur raro stimulantia, præcipue localia, et inter quorum acerrima est culter, per tam longum tempus solum non exerciti sint a medicis celeberrimis, sed vitati propter perniciem in hoc morbo medendo.

Erysipelatis *symptomatici* causis symptomatibusque enumeratis, methodus medendi manifestus sit. Debemus itaque primo, dilatare vulnus sectione non coërcita, tenus osse; deinde extrahere sanguinem libere, conditione ægrotantis permittente; aperire intestina promptis catharticis, post effectus optatos quorum, incitare diaphoresim; regimen lene esset ægri, constans fere diluentium, et vulnus superintectum linteo, vel aliquo non irritante (unguentis omnibus evitatis), supra quod

cataplasma emolliens ponendum tepidum, et renovatum ter quaterve indie ; et in remotione singula, pars dolens aqua tepida, tincta cum spiritu, fovenda.

FINIS.